

uerſionis plus juris non acquirat, quam ſi mini-
mè ſideli conuerſo fuiſſet vnquam copulata, vt
ex D. Thoma, & alijs docet P. Saneius loco du-
dum adducto. Et vt demus legitimas fuiſſe om-
nes, cum primam præterendam Ius ſtatuat, &
expectari illius conuerſio debeat volentis coha-
bitare, non debet iure illo priuari ob maturatam
couxorſ alterius conuerſionem: quæ enim prior
fuit tempore, prior eſſe & iure debet, neque Ba-
ptiſmo iura quæſita in coniugio ſoluantur, ſed
crimina dimittantur, vt in eodem Capite Ponti-
fex proteſtatur. Circa quod

*Aſſeritio vlti-
ſaris faciens
difficultati.*

*Indicia ve-
ri matri-
monij qua-
lia in India.*

*An venere-
ntia.*

*Quid apud
nonnullos
in uſu.*

415 Dico tandem Pontificiam deciſionem
poſſe ſuſtineri. *Primo*; quia dici poteſt in eâ nul-
lum ius coniugis conuerſæ ſpeciale eidem agno-
ſci, ſed amorem peculiarem ſupponi, tum ex
communi titulo coniugij, tum ex ſpeciali, qui ex
conuerſione accreſcit, cum virum in fidei pro-
feſſione ſequatur, alijs id facere reuocantibus.
Quod ſi poſtea dicat ſe Baptiſmum fidei ob viri
amorem ſuſcepſiſſe, non eſſe illi in foro exteriori
credendum, niſi adſint legitimæ probationes, ob-
ſeruat Ferdinandus Zurita in *Enchiridio Indico*,
Quæſt. 24. vbi & teneri illam ad Baptiſmum ritè
ſuſcipiendum, niſi coniux copiam abeundi fece-
rit. *Secundo*, ob rationem dictam poſſe in illâ ſpe-
ciale ius agnoſci, licet prima non ſit, quia verum
coniugium inter fideles non ex primitate colli-
gendum eſt, ſed ex voluntate in eo permanendi
ſecundum principalem rationem contractus lu-
mine naturæ conſtante. *Tertio*; quia verofi-
militer exiſtimari potuit apud Indos non fuiſſe
vera matrimonia, eorum cognitâ ruditate, quia
neque animo perſeuerandi in coniugio inſepar-
abiliter contrahentibus, neque in ordine ad ſeruan-
dam fidem, & filiorum educationem; quæ ad
ſubſtantiam contractus pertinent, intentione ex-
preſſâ aut tacitâ ducebantur. Pro quo facit diſ-
curſus P. Balthaſſaris Barreira apud P. Fragolum
Tomo 3. Lib. 10. Diſput. 22. num. 48. & 49. & alia
quæ habet Auctor idem *num. 57. & ſeqq.* & P.
Andreas Perez in *Hiſtoria Miſſionum Cina-
loenſium*. Et id quod tunc temporis, de Indo-
rum, qui conuertebantur, moribus circa coniu-
gia vigeat, in ijs pariter diſpicitur, qui modò in
diuerſis regionibus conuertuntur. Et apud Indos
non fuiſſe vera matrimonia ſecundum id, quod
ex naturâ ſuâ, & diuina inſtitutione, talis contra-
ctus exigit, fuere non contemnendi magiſtri, &
Euangelici operarij, qui ob indubitata experi-
menta cenſuerunt, vt videri poteſt apud Fr. Ioan-
nem de Torquemada in *Monarchia Indianâ, Parte*
2. Lib. 13. Cap. 15. Poſt plantatam ſiquidem fi-
dem in Nouâ-Hiſpaniâ inuenti ſunt multi coniu-
uges, qui ſe mutuò relinquebant. Quod quidem
cum à Chriſtianiſ accipere non poterint, faten-
dum eſt ex antiquis eorum moribus deſcendiſſe.
Refert autem Auctor idem *citato Libro Cap. 5.* in
in more apud Indos fuiſſe, vt ſi quando aliquis
inſcijs puellæ parentibus contraheret, maritus ad
illos ſit venire ſolitus, & facti pœnitens veniam,
& puellam pariter poſtulare, in eorum ipſam tra-
dendo manus, vt ſi connubio annuere nollent,
apud ipſos remaneret. Et *Cap. 9.* narrat provin-
ciæ cuiuſdam incolæ à ſuis hoſtibus vxores dato
pretio comparare: ex quibus quos generant fi-
lios, reſeruant quidem, filias autem occidunt, ne

ſi eas hoſtes capiant, ex eis filios generent, hoſtes
ſibi parentum imitatione futuros. Hoc autem
matrimonium, cum contra finem legitimi huius
contractus ſit, bonum ſcilicet proliſ, à propria il-
lius ratione alienum fuiſſe, extra dubitationem
eſt. Vt alia præteream diuerſarum gentium in
eodem genere iniurioſa naturæ portenta. Iuxta
hæc ergo potuit Pontifex decernere, vt primæ
vxoris ratio haberetur nulla, ſi cum alia ex con-
uerſis velit vir pariter conuerſus ſtabili connubio
copulari.

416 Ex his ergo apparet quid faciendum ſit
in caſu à Pontifice prætermiſſo: ſi videlicet plu-
res vxores eius, qui conuertitur, pariter conuer-
tantur, non tamen prima. Vnde & habetur Pon-
tificiæ voluntatis non fuiſſe onus conuerſo im-
poni, vt eam, quæ conuerſa eſt, ducere teneretur:
quandoquidem plures conuerſi poſſunt, & nul-
lum tunc ius cuiuſquam eſſe ad coniugium po-
teſt; & ita neque cum ſola vna conuertitur; quia
ſi verè in illâ eſſet ius tale, non poſſet per aliarum
conuerſionem tolli, quæ valde accidentaria eſt.
In caſu ergo dicto nullam tenetur ducere con-
uerſus, vt docet D. Thomas in *4. diſt. 39. q. vnicâ,*
art. 3. ad 4. vbi & Sorus, *q. vnicâ, Artic. 3. ad 5.*
quibuſcum P. Thomas Saneius *Diſput. 73. citat.*
num. 5. & alij communiter. Quod verò ad pri-
mam attinet, iuxta dicta iudicandum eſt, & in-
ſpiciendus modus, quo ij, de quorum coniugio
agitur, in contrahendo vtuntur. Neque enim
ſatis eſt, vt legitimus, & iuri naturæ eſſe confor-
me intelligatur, ritus aliquos in eo ſeruari, quales
ij ſunt, de quibus citatus Fr. Ioannes de Torque-
mada *Lib. 13. Cap. 5. & ſeqq.* Neque diuerſa no-
mina haberi apud illos, quibus vxores & pellices
diſtinguantur, ſicut habentur apud Peruianos,
qui etiam ad ſignificandum fornicationis peccatum
nomen ſpeciale habent. Quemadmodum enim
apud antiquos diuerſa nomina ad Vxores
& Concubinas designandas, non erat indicium
ſufficiens, vt concubinas non eſſe etiam vxores
crederetur: ſicut ſpecialiter obſeruant Interpre-
tes circa *Cap. 6. Cantici Salomonis, v. 7.* ita neque
indicium ſufficiens ad intelligendum eam, quæ
vxoris gaudet nomine, propriè eſſe talem debet
æſtimari. Vult autem P. Fragolus *ſupra num. 55.*
quando res fuerit dubia, ſemper in fauorem ma-
trimonij non ſolum inclinandum, ſed pro eo iu-
dicandum: pro quo adducit Patrem Tholoſam
Prouincialem quondam Braſiliæ. Quod quidem
verum eſt, quando fauor in aliquod eorum, qui
conuertuntur, commodum reſultat, & non ſolius
contractus habetur ratio. Quod ſecus accidit in
matrimonio fidelium, eò quod Sacramentum ſit,
in illius enim fauorem ſemper inclinandum, cum
res dubia eſt, iuxta communem Doctorem ani-
maduerſionem; niſi fortè non dubium tantum,
ſed probabilis opinio ſit: tunc enim eam licebit
amplecti, quæ opportunior pro caſu occurrenti
fuerit iudicata. Et de priuilegijs ad Sacramenta
ſpectantibus hæc ſatis, & vt ad ea, quæ ad Eccleſiæ
Præcepta pertinent, tranſeamus.

*Cum plu-
res conuer-
tantur vx-
ores, quid
faciendum.*

*Quid cum
prima, &
quod pri-
mitas non
ſufficiat, vt
legitima
cenſetur.*

De Priuilegijs Indorum circa
Præcepta Eccleſiæ.

C A P V T XV.

De Priuilegijs circa Feſtorum obſer-
uationem.

*Concil. Li-
menſis De-
cretum cir-
ca Feſta In-
dorum.*

*Pro quibus
& priuile-
gium Pauli
III.*

*Non teneri
ad alia Fe-
ſta poſſe à
generaliter
præcepta.*

*Particula
Tantum
quam ha-
beat vim,
ex qua ar-
guitur.*

*Cap. Quia
circa.*

417 **P**RO illis ſic habet Concilium Limen-
ſe Tertium *Act. 4. Cap. 9.* iuxta ea, quæ
Concilium ſecundum *ſeſſione 3. cap.*
90. tradiderat: *Porrò Neophyti, quos Eccleſiæ mater-
na indulgentia præceptorum ſuorum ſarcina magnâ ex
parte leuandos exiſtimauerit, ſequentes tantum dies
iuxta Superioris Synodi Prouincialis ſtatutum, obſerua-
re cogantur. Primum dies omnes Dominicos, vt Eccleſiâ
vniuerſalis ſemper obſeruat. Deinde, Diem Natiuitatis
Domini, diem Reſurrectionis primùm, diem Pentecoſtes
primùm. Item Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis,
& Corporis Chriſti. Beatæ quoque Virginis Mariæ
Feſtum Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, &
Aſſumptionis. Demùm, Apoſtolorum Petri & Pauli.*
Sic Concilium: quod dum maternam circa hoc
indulgentiam Eccleſiæ recognoscit, priuilegium
indicat Pauli III. cuius mentionem faciunt Fr.
Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro
Conſellarijs Indorum Parte 1. Verb. Feſtum. D.*
*Solorzanus Tomo 2. Lib. 1. Cap. 27. numer. 94. &
ſeqq.* vbi primò ait priuilegium eſſe Pauli IV. (ſci-
licet, *numer. 94.* ſicut in *Polticâ Pag. 240. Col. 2.*
& in fine *gludem. 5.* Pauli III. eſſe reſtatur, &
ita proculdubio aſſerendum. Ferdinandus Zurita
in *Enchiridio Indico Quæſt. 10.* & P. Quintanad.
Tomo 2. Tractat. 1. Singul. 11. & alij apud ipſum.
Circa quod quæri poteſt

418 Primò, an præter dicta Feſta teneantur
Indi ad aliorum obſeruationem: Circa quod
P. Quintanad. loco dudum citato cenſet teneri ad
Feſta S. Ioseph & S. Annæ, quia illa pro omni
Eccleſiâ obſeruanda proponuntur, & priuile-
gium Pauli III. de Feſtis agit, quæ in vſu Eccleſiæ
tunc erant, non verò de futuris. Et illud eſt vni-
cum aſſertionis huiuſce fundamentum. Sed certè
non vrget: quia cum priuilegium, vt illud Con-
cilium intelligit, & ex tenore adducto conſtat,
ad hoc ſit, vt Neophyti designatos tantum dies
obſeruare cogantur, huiuſmodi exclusio ad futu-
ra etiam Feſta debet extendi. Particula enim
Tantum omnimodam exclusionem dicit, & ita eius
abſolutam vim expendit inter alios Parisius *Con-
ſilio 48. num. 7. & ſeqq.* Immo indefinitus loquen-
di modus ad hoc ſatis, vt probat Textus in *Cap.*
Quia circa, de priuilegijs, ubi: *Prædeceſſor tuus in-
deſinitè decimas Episcopales Monasterio remittendo,
cum nihil exceperit, & potuerit excepiſſe, & in bene-
ficijs plenissima ſit interpretatio adhibenda, nec debeat
vna eademque ſubſtantia ſub diuerſo iure cenſeri, intel-
lexiſſe videtur non ſolum de decimis poſſeſſionum illius
temporis, ſed futuri.* Sic Innocentius III. Deinde
vrget ratio à Concilio adducta, quod ſcilicet
Neophytis ſarcina ſit præceptorum minuenda,
& maternâ ſint indulgentiâ tranſcendendi: ex quo
ſit ab obligatione multorum Feſtorum exem-
ptos, quamuis ſint illa ſolemniffima, qualia ſunt

Feſta Reſurrectionis & Pentecoſtes: licet enim
primi illorum dies obligent, ea obligatio ſpecia-
lis non eſt, quandoquidem ſub obligatione Do-
minicorum dierum habentur. Feſtum S. Ioannis
Baptiſtæ, Apoſtolorum, præter Diuos Petrum
& Paulum, D. Stephani, Sanctorum Innocen-
tium, D. Laurentij, S. Crucis, D. Michaëlis,
Omnium Sanctorum. Quorum ſolemnitati non
venit Feſtum D. Iosephi, & S. Annæ, ſecundum
gradus & qualitates ab Eccleſiâ conſtitutos, vlla-
tenus exæquandum. Cum ergo circa illa exem-
prio conceſſa ſit, non eſt verofiſimile ad duo præ-
fata obligatos Eccleſiam voluiſſe. Qui enim li-
cet id quod plus eſt, licet etiam & quod minus,
iuxta regulam iuris notiſſimam, ſic intelligen-
dam, vt plus & minus in eodem genere ſint, vt
aliàs diximus, & hoc loco conſtat euenire. Pro
quo & L. Filius famil. 5. finali. D. de donationibus.
Ex quâ idem P. Quintanad. *Tractat. 6. Singul. 7.*
in fine, & ex *Cap. quodam Ex parte* malè citato
probat priuilegia Indis conceſſa, & alijs Neophy-
tis, ad mixtionem aliquam habentes extendenda.
Præterea, Priuilegium hoc in fauorem fidei mi-
litat, vt eſt maniſeſtum; quæ autem talia ſunt,
amplè interpretanda eſſe ſapius dictum iuxta
communem ſcriptorum atteſtationem, quod &
citatus Auctor agnoſcit *ſupra, Singul. 6. numer.*
6. vbi & de priuilegijs circa ieiunia ſequitur.

419 Idem etiam dicendum de Feſtis, quæ
ab Episcopis poſt huiuſmodi conceſſionem inſti-
tuit poſſunt, ijs ſeruatis, quæ ſacri Canonès circa
talem inſtitutionem iniungunt. In quo quidem
citatus ſcriptor ex aduerſo ſtat, idem affirmans
quod de duobus illis Feſtis auctoritate Apoſtoli-
câ conſtitutis: niſi Episcopis Indos exciperent,
vel aliunde ex Bullâ aliâ excepti ſint. Sic *num. 6.*
Sed ſimiliter reſellendum, & à fortiori. Poteſt
autem dubitari an ſtante priuilegio dicto, vt ſci-
licet Indi ad alia Feſta non cogantur, poſſint ni-
hilominus Feſta conſtitui, ad quorum illi obſer-
uantiam obligentur. Et ſatis verofiſimile eſt non
poſſe, quia contra Apoſtolicam eſt prohibitio-
nem: etſi id admittatur, inutile reddi poterit
priuilegium: quia etiam circa Feſta, pro quibus
exceptio conceditur, obligatio eſſe poterit, cum
pro omnibus eadem ratio ſit; etſi in ordine ad
Feſta futura extendi poteſt, pro alijs item poterit
obligatio eadem, ijs, quibus Pontifex leuare onus
intendit, imponi. Quo non obſtante, in caſus
alicuius contingentiâ ordinariâ auctoritate vti E-
piscopi poterunt, & pro diebus aliquibus ad ob-
ſeruantiam Feſti alicuius obligare: quia hoc ad
congruum regimen ſpectat, neque eſt credibile à
Pontifice, cuius ſolicitudo in communiæ fidelium
bonum incumbit, prohiberi.

*De Feſtis
ab Episco-
pis inſtitu-
tis idem te-
nendum,
etſi alijs ve-
lim expreſ-
ſè obligare.*

*Exceptio
caſus.*

*Neque ad
Feſta addi-
ta in Bullâ
Vrbani 8.*

420 Ex quo maniſeſtum relinquitur Indos
non obligari ad Feſta illa, quæ ab Urbano VIII.
in Bullâ moderationis illorum vt obligatoria
proponuntur; ſcilicet Sanctorum Innocentium,
& S. Sylueſtri. In quo quidem P. Quintanad.
non aduerſatur, vt videri poteſt *num. 7.* Aut enim
hæc Feſta obſeruabantur ante priuilegium Pauli
III. & ſic pro illis obligatio ſublata eſt: ex eo au-
tem quòd de nouo à Pontifice vt obligatoria
propoſita ſint, noua obligatio non conſurgit,
quia illam Pontifex non intendit imponere, ſed
antiquam confirmare: vnde exempti ab eorum

obligatione, eam non contrahunt ratione declarationis. Si autem non obseruabatur, ratione noua Constitutionis non accrescit obligatio: quia intentio Pontificis non est Festa addere, sed eorum multitudinem moderari, vt ex tenore Constitutionis apparet. Vnde existimat citatus Auctor, & ex professo probat Festa dicta non obligare, vbi consuetudine receptum erat, vt non obseruarentur, videatur *Singul. 2.* Quod fundamentum licet non omnino firmum sit, quia moderatio cum obligatione duorum illorum Festorum stare potest, quandoquidem respectu quamplurimum aliorum est sublata: in casu tamen nostro specialiter aptari potest, quia Pontifex non intendit suam Constitutione nouam sarcinam recens conuersis imponere, quos Ecclesia materna vult indulgentia conuolare. Et quidem generaliter loquendo Constitutio dicta pro moderatio Festorum est, & alleuatio fidelium circa onus praedictum; & ita proportionaliter de Neophytis dicendum, eos scilicet per eandem non grauari, sed potius onere liberari. Quod quidem ad illud saltem applicandum, vt onus nouum non censetur impositum, vt hoc alleuatiois genus reputari possit; in sua videlicet moderatio circa praedictam obseruantiam conseruari.

An possint ad laborandum compelli in Festis ad quae non obligantur.

Concilium Limese 3. id prohibens non imponere praecipuum, aliquorum sententia.

Aliunde an graue peccatum sit, qui negant, & vnde probant.

421. Secundum quaeri potest an cogi ad laborandum possint in Festis, quae pro ipsis de precepto non sunt. Circa quod est admonitio Concilij Limesis citata *Art. & Capite*, vbi sic dicitur: *si qui autem Indorum plures alios dies festos nostro more seruare voluerint, & in ijs ab opere seruuili vacare, integrum sit eis facere ex deuotione: neque villo modo in ijs laborare, a quoquam penitus compellantur.* Sic Concilium: cuius verba graue praecipuum non continere, sed solum habere rationem admonitionis, directionis, consilij, & deprecationis, affirmat P. Quintana. *Singulari 11. citato numer. 3.* Quod quidem ante eum docti aliqui Magistri tenuerunt. An autem aliunde grauis obligatio confurgat, diuersa quaestio est. In qua ex citatis Dom. Solorzanus, Fr. Ioannes Baptista, & apud ipsum Fr. Ioannes Focher, eum illicitum dicant, de peccati grauitate non disputant. P. Quintana peccatum esse mortale negat, si Indorum domini eos fortiter & suauiter ad laborandum impellant. Et hoc quidem tenuit P. Ioannes Perez Menacho. Quod si violentia dirae tractationis accedat, graue quidem peccatum erit, sed non ab eo diuersum, quod tales vim facientes committerent, si eos in quibuscumque aliis diebus ad laborandum compellerent. Cum enim obligatio Festorum sublata sit, perinde se habent, ac si talia non essent. Ex eo autem intuitu, vt copia metallorum sit, quae in communem utilitatem redundat, posse ad laborandum cogi, tenent aliqui apud Dom. Solorzanum *num. 98.* qui tamen *num. 99.* contrarium se consuluisse testatur, eo quod magis fauorabilis sit Festorum obseruatio: pro quo Auctores & alia erudite congerit in sequentibus. Ad quae quidem dicere possunt ij, qui ex aduerso stant, esse quidem verissimum quando obligatio Festi vrget: in casu autem nostro, cum obligatio sublata sit, aliam esse rationem: cum alias labor huiusmodi vtilis laborantibus sit, qui ex eo iustam mercedem acci-

piunt, vt suae ordinariae indigentiae succurrant.

422. Sed certe non videtur negari posse quominus in hos, sublatis etiam inhumanis violentiis, graue peccatum possit admitti. Sit quidem in compulsionem suauitas, vt P. Quintana praemonuit: si tamen non solum suauiter, sed & fortiter Indi, & alij ad laborem compellantur. Ita vt nequeant nisi cum probabili detrimento resistere, labor illis inuitis accidit, nec licet ipsis suo priuilegio uti, quod sine graui compellentium peccato stare nequit. Et priuilegium quidem id secum affert, pro quo admonitio Concilij adiecta. Priuilegiis enim utimur cum volumus: ergo Indi, quibus illud circa Festorum obseruationem conceditur, vt eo possunt pro libitu aut non uti. Si ergo uti velint, nequeunt ad laborem forti pertractione compelli. Quod ergo in hoc peccatum sit, aut non sit, non debet ex Concilij monitione desumi, sed ex priuilegij conditione in materia graui, cuius vsus pusillis istis Ecclesiae filiis impeditur. Indo equidem volenti matrimonium contrahere cum cognata in gradu aliquo ab Ecclesia prohibito, sed in quo dispensari potest virtute priuilegij Indis concessi, si quis obstaculum opponat ob aliquod tantum apponentis commodum, grauius proculdubio peccabit; neque alia ratione, nisi quia priuilegij Apostolici vsus impedit, idque in materia momenti magni. Pro quo est Cap. *Quantum*, de Priuilegiis, vbi: *& sic Apostolorum priuilegiorum, non vim & potestatem, sed sola verba seruantes &c.* Concludit autem sic Pontifex: *Si super hoc ad nos clamor denuo ascenderit, non poterimus comminutibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum serueritate debita castigemus.* Sic Honorius Tertius, vbi tamen de indirecto impedimento tantum agebatur, vt ex Summario Capituli eiusdem constat. Praeterquam quod si talis compulso liceret, priuilegium Indis praedictum foret, contra regulam iuris sit celebrem *61. in 6.* sic habentem: *quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Si enim Indi communi iure censerentur in ordine ad Festorum obseruationem, non possent in illis ad laborandum compelli: cum ergo stante priuilegio compelli posse dicantur, perspicuum est gratiam in eorum retorqueri dispendium. Et haec profecto illorum miseranda conditio, cui vsus magis, quam ratio, iustitia, ac pietas suffragatur: vt quidquid pro ipsorum alleuandis oneribus Principum benignitate disponitur, in eorum passim videatur incommodum retorqueri. In quo non iam quaestio circa ius vertitur, cum agi contra ius omne exploratissimum sit; sed cauteriarum audaciam & immanitatem traducere, vt ab ijs, quibus rerum istarum incumbit cura, remedium aliquale prouideatur.

423. Et haec quidem non solum de Indis intelligenda, sed etiam de Aethiopibus, licet mancipia sint: non possunt enim ad laborandum compelli, cum eisdem, quibus Indi, priuilegiis perfruantur, vt ostendimus, *num. 129.* & in illis quidem videtur maior esse ratio, eo quod maius dispendium ex priuilegio subeant, quam Indi, qui effugere multoties coactionem possunt, cum tamen mancipia id assequi nequeant, sub-

Contrariis ostenditur.

Ex priuilegij violatione arguitur.

Cap. Quantum de priuilegiis.

Ca. Quod ob gratiam de reg. iur. in 6.

De Aethiopibus idem asserendum.

Et de Indis mancipiis.

Concilium Limese 3.

Excipiuntur Festa sublata specialia, quae ex deuotione seruari possunt.

Oppositum verosimile.

De abstinentibus labori Indorum in Festis notanda resolutio.

manu semper dominorum constituta. Et de Indis in seruitutem redactis, vt sunt Christianorum plures, dubitari nequit priuilegio praefato frui, vnde ab laborandum nequeunt violententer adstringi: seruitus ergo priuilegij frui non obstat. Ex quo efficaciter argui potest: nam Aethiopes liberi possunt priuilegio frui: ergo & serui. Consequenter est clara: quia seruitus non obstat priuilegij frui, vt in Indis constat. Licet autem Concilium Limese admonitione praefata de Indis loquatur, vt constat ex verbis illis: *si quis tamen Indorum &c.* in Decreto tamen de Neophytis locutum, vt illa lais expressa verba manifestant: Porro Neophyti, quos Ecclesia materna indulgentia &c. In admonitione vero de Indis specialiter loqui oportuit, ob grauissimam, quam pari solent in metallis effodiendis vexationem; & quia imbecilliores sunt. Ratio autem ab eodem adducta de materna indulgentia, quae debet teneris filiis impendi, ad omnes extenditur, vnde & dispositio pariter, iuxta vulgatum iuris axioma, de quo alias, *Vbi est eadem ratio &c.*

424. Sed esse circa hoc peculiaris difficultas potest ex eo confurgens, quod Bulla Urbani Octauae de moderatione Festorum publicata, & iuxta eam multorum Festorum obligatio sublata, quae etiam ex consuetudine, aut speciali lege fuerant introducta, Episcopi aliquid ad ea seruanda ex deuotione mouerunt, & Indulgentias obseruantibus sunt pariter dilargiti. Si ergo Neophyti ea seruare velint, vt multi ex Hispanis seruant, eritne speciale peccatum eos ad laborandum compulsi? Ad quod videtur dicendum in eo graue non esse peccatum, quia materia priuilegij penitus sublata est: erat enim priuata lex, quatenus lege circa alios stante, ab ea illi eximebantur. Atqui lex penitus circa dicta Festa cessauit: ergo & priuilegium: vnde & cessat peccati materia ex eo quod Neophyti suo priuilegio uti prohibeantur. Quod autem Episcopi ad obseruationem hortentur, & gratias concedant, dominorum ius erga seruos non tollit, neque aliis nouum ius tribuit, vt possint titulo peculiari resistere, ex quo iniuria peculiaris subsequatur. Cum praeterea videamus maiorem populorum partem Festa huiusmodi non seruare, vnde neque domini tenentur eam seruis indulgentiam exhibere. Sicut enim plebi minuuntur Festa, ne commodis ad vitae sustentationem laboris cessatione priuetur, ita & dominis haec debet prodesse gratia, ne scilicet seruorum operis multiplici Festorum vacatione fraudentur. Quauis autem oppositum posset non inuerosimiliter comprobari: a probationibus abstineo, quia nullus est futurus, qui in praxi huiusmodi sententiam amplectatur.

425. Dum autem Neophyti sponte in diebus festis suo vtentes priuilegio laborant, posse Hispanos eorum labori superintendentes operam suam praestare, admonet P. Quintana. *num. 3.* addens posse etiam per se ipsos laborare, dummodo plus spatij quam duarum horarum non sit: illa enim gubernatio actus est potius dominij, aut libertatis, quam operis seruilis. Sed certe si labor superintendens ita necessarius sit, vt sine eo peragi commodum opus nequeat, cui Neophyti incumbunt, continuari per maius spatium

tium poterit, quia in priuilegio eorum videtur id verosimili consequentia concessum. Neophytis enim conceditur vt laborare possint, & id intelligendum de illo praesertim laboris genere, in quo illi solent occupari. Si ergo occupatio talis commodum stare nequeat, nisi Hispanis, qui labori assistunt, pariter laborantibus, id etiam consequenter indultum, iuxta communem doctrinam de priuilegiis, pro qua videri potest P. Suarez *Lib. 8. de legibus Cap. 11. num. 7.* Bonacina *Tom. 2. Disputat. 1. Quaest. 3. Puncto 6. num. 7.* & alij, apud quos congrua exempla succurrunt de ministro pro Missa dicenda Interdicti tempore, & socio ad recitationem Horarum, aliaque. Debent autem illi Missam audire, si commodum possint. An autem Neophyti ad eandem audiendam teneantur, ita vt priuilegium tantum circa laborem versetur, quem licitum reddit, haeret P. Quintana *ad. n. 6.* sed res est penitus explorata, cum in Bulla obligatio seruandi praedicta Festa absolute tollatur, quorum obseruatio in auditione Missae magna ex parte versatur. Et cum Pontifex nullam circa hoc limitationem addiderit, neque nos addere debemus: vbi id omnino conuincit, quod ex Cap. *Quia circa*, de priuilegiis positum *n. 418.* *Cum nihil exceperit, & potuerit exceperisse, ac in priuilegiis plenissima sit interpretatio adhibenda. &c.*

426. Tertio inquiri potest an Parochi Indorum teneantur priuilegium hoc ipsis manifestare. Circa quod Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico *Quaestione 10.* affirmatiue respondet, quando illius extat ignoratio: secus autem, si Indi a multo iam tempore illo non vtantur, & transgressores Festorum puniantur: immo tunc ait Parochos male facturos, si priuilegium in memoriam reuocant ex D. Thoma *1. 2. quaest. 97. artic. 2. & 3. & quaest. 90. artic. 4.* subdens non valde culpabilem videri Parochi simulationem, si priuilegio non appareat renuntiationem, vbi id studet, vt Indi paulatim se reducant ad obseruantiam iuris communis: hoc enim ex legislatoris verosimili voluntate descendit, & reprobari non potest, vt in simili docet D. Thomas *supra q. 96. artic. 2. & qu. 97. artic. 1. & 4.* Sic Auctor dictus: quod videtur probare Dom. Solorzanus *num. 97.* Circa illud tamen adnotare iuuat, posse quidem contingere vt Indi ante aliquod tempus coeperint Festa, pro quibus priuilegium extat, obseruare: nec tamen consuetudinem talem sufficere, vt ad commune jus reducti debeant existimari: quandoquidem consuetudo talis potuit ex priuilegij ignorantia descendere, vnde & inuoluntaria fuit; quia ignorantia facit inuoluntarium. Pro quo sunt Doctores, quos adducit & sequitur Diana *Parte 6. Tract. 5. Resolut. 9.* vbi & in obseruatione Festorum exemplum apponit.

427. Zelus praeterea ille reducendi Indos ad ius commune, non videtur secundum scientiam, quia Pontifices nolunt eo modo ad reductionem uti, qui in errore fundatur, sed hortationibus, vt constat ex Bullis, quae de dispensationibus circa matrimonia agunt. Et quidem Indi ita propensi ad laborandum sunt in suis agellis, vt difficile illis persuaderi possit, quod in Festis, in quibus dispensati non sunt, a labore abstineant. Dum er-

Neophytos non teneri ad Missam audiendam in Festis priuilegiatis.

Parochi an teneantur Indis de priuilegio notitiam praebere.

Zelus quidam Parochorum expugnatus.